Numerus 9 - Anni II
:: November 1925 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De altero centenario canonisationis S. Aloisii

a Sodalitatibus cum fructu obeundo

Agitur de opere grandi et, ut sperare licet, valde salutifero pro iuventute catholica universi orbis; agitur de honore S. Aloisii nostri, Patroni iuventutis, simulque Patroni secundarii plurimarum Congregationum Marianarum; agitur de vera cruciata ad refovendum in iuventute nostra spiritum religionis, puritatis et ut dici solet, idealitatis catholicae. Quid mirum, si primo loco Congregationes nostras adimus, eorumque clarissimos Directores rogamus, ut in pulcherrima hac actione suas nostris vires iungere et coeptum opus ad felicem exitum conducere nobiscum velint.

Est vere splendida occasio ostendendi, quid unitis viribus efficere inprimis cohortes nostrae Marianae, sed etiam aliae organisationes similes Deo iuvante possint.

Quid igitur est, quod volumus?

Occasio et finis.

Sequentis anni 1926 ultimus dies *alter centenarius erit, ex quo S. Aloisio Gonzaga et S. Stanislao Kostka coelitum honores Benedictus XIII solemniter decrevit.*

Hunc diem non possumus omittere, quin aliquid magni, aliquid hac occasione digni, aliquid iuventuti nostrae reapse proficui efficiamus.

Nec mens est, externis tantum pompis, fluxaque aliqua devotione hunc diem celebrare, sed quaerenda via est ita utendi hac rara occasione, ut *realem fructum quam maximum et solidissimum* ex ea carpamus. Uti nos oportet hac occasione eo modo, ut amabilem simul et excitantem Sancti Aloisii (et ubi facile fieri potest, etiam S. Stanislai) imaginem clarius et altius ob oculos iuventutis ponamus eamque invitemus, ut ad inclyti sui Patroni exemplum magna voluntate sese accommodet et Aloisii exemplo freta ad futuram societatem christiano modo renovandam pro sua parte viriliter operam conferat.

Iuventus virilis amat exempla virilia et heroica, atque facile inflammatur ad magna volenda et perficienda, si ei alti fines proponuntur. Proponamus ei igitur, ut decet, nobilis huius Iuvenis exemplum et invitemus eam, ut sese praeparet ad idealia christiana in vita ac societate moderna, cuius mox dux erit, revalidanda.

Invitemus iuvenes catholicos totius orbi, ut hoc festo Patroni sui centenario **sacrum quoddam foedus ineant,** puncta quaedam seu **programma aliquod commune** acceptando, quo omnes iuvenes vere catholici totius mundi sese uniri sentiant ad apostolatum serium hodie suscipiendum et cras evolvendum (1).

Programma vitae Aloisianum.

Programma illud vitae, quod Aloisianum vocare liceat, capita quaedam brevia continebit; non omnia, sed summa iuvenum catholicorum officia complectetur; eaque breviter, ut iuvenibus placere solet, styloque virili et fere militari expressa. Cuius programmatis paradigma hic apponimus, sed notamus, illud quoad formam et stylum singulis nationibus secundum harum indolem a Directoribus adaptandum esse. Quoad substantiam tamen idem servare praestat, ut programma vere commune dici queat.

Propositum et a Commissione Centrali ad id ordinato (cui Emin. Cardinalis Urbis Vicarius

(1) De hac eadem re A. R. P. N. litteras ad RR. PP. Provinciales de 7 Octobris dedit, quarum puncta ad Directores pertinentia nos h.c exponimus.

praeest) quoad substantiam acceptatum est hoc paradigma :

" Nos iuvenes catholici, ad tumulum gloriosi nostri Patroni, S. Aloisii, Romam mente peregrinantes, amicas conserimus manus cum omnibus iuvenibus S. Aloisium colentibus totius orbis et programma nobis proponimus vitae, exempla S. Aloisii sequendo, quo apti et digni fiamus cooperatores ad vitam et societatem secundum idealia christiana renovandam.

" Quare solemniter et uniformiter declaramus hanc nostram voluntatem quoad sequentia :

1° Firmi semper stabimus in *fide* catholica, inter infidelitatem et defectionem quamvis multorum.

2° Fideliter amabimus *Ecclesiam*, Christi sponsam, eamque ut matrem nostram tuebimur contra adversariorum insectationes.

3° *Mentis culturam catholicam* ac profundiorem religionis notitiam nobis acquirere officio honorique nobis tribuemus.

4° Cum omnis vera fortitudo victoria passionum nitatur, animi nostri *puritatem* S. Aloisii exemplo invicte tuebimur, imprimis frequentis communionis usu ac B. Virginis cultu singulari.

5° Tandem *characteris vere catholici* studiosi erimus : fidelitate, veracitate, erga parentes et benefactores gratitudine, inter nos amicitia, erga debiliores liberalitate et magnanimitate.

" Rogamus SS. Cor Jesu per intercessionem B. Mariae Virginis et Sancti nostri Patroni Aloisii, ut his nostris propositis benedicere, ad ea servanda gratiam uberem largiri nosque aptos efficere velit ad apostolatum frugiferum exercendum, ut per nostros etiam conatus mox adveniat societati humanae *pax Christi in regno Christi* ".

Quomodo procedendum ?

Ratio iam agendi haec videtur sequenda. Constituta est Romae Commissio quaedam centralis anniversario Aloisiano praeparando, cuius Nostri erunt anima, non autem corpus ; componitur sacerdotibus etiam saecularibus ac Sociis religiosarum familiarum atque laicis. Haec Commissio invitationem (a Cardinali Praeside signatam) mittet omnibus orbis episcopis ac Religionum Antistitibus, rogando eos ut Parochos aliosque sibi subditos, qui curam animarum ac iuventutis habent, ad participandum in hac nostra actione inducant (1). Prostabunt autem omnibus Parochis et iuventutis Directoribus instructiones particulares ; item prostabunt diversis linguis tam formulae programmatis, quam synopses conferentiarum Aloisionarum, breves vitae ac similia.

Iam quidnam a singulis Parochis ac iuvenum Directoribus (e. g. in Collegiis) petetur ?

(1) In singulis Provinciis Patres destinabuntur ad rem promovendam, qui etiam epistolam Commissionis Romanae ad singulos Rev.mos Episcopos deferendam (non per postam, sed ab homine) ex RR. PP. Provincialium mandato curabunt.

1° Petetur, ut decursu anni 1926 opportuno tempore (e. g. versus diem festum S. Aloisii, circa 21 Junii) habeantur in quolibet templo vel iuventutis oratorio *octiduum* (aut certe triduum) in honorem S. Aloisii cum *conferentiis* de eo, quibus etiam programma supra positum apte evolvatur et iuvenes invitentur, ut ii qui programma acceptaverint et nomen dare tam sancto foederi voluerint, nomina sua foliis prope in aliqua aula expositis *subscribant* (1).

2ª Haec folia versus finem anni colligabuntur et Romam mittentur, ubi Summo Pontifici primum proponentur, deinde ipso die anniversario (31 Dec. 1926) in templo S. Ignatii in Urbe solemniter *ad tumulum S. Aloisii deponentur* : libri singularum gentium a delegatis *2 vel 3 iuvenibus singularum nationum*, lingua vernacula aliquod encomium proferentibus.

3° Eodem die *Communio generalis iuventutis totius orbis catholici* habebitur in omnibus simul templis, post quam formula solemniter ab omnibus, qui ei nomen dederunt, alta voce recitabitur. A prandio Academiae Aloisianae, ubi fieri potest, habebuntur, ipsis iuvenibus programma suum ibi evolventibus.

Utilitas speranda.

Facile apparet multiformem esse utilitatem, quae ab hac actione sperari possit, etiam praeter ipsam reformationem spiritualem plurimorum iuvenum, imo fortasse etiam altiorem multorum vocationem. Nam :

1° Ipsos iuvenes vehementer iuvabit ac delectabit sentire se unum cum tot milibus nobilissimis iuvenum omnium gentium ad idem anhelantium ; inde sperari potest maior serietas in acceptandis et constantia in servandis sanctis propositis, et maior efflorescet in eis conscientia sui catholica et sensus fraternitatis christianae.

2° Sancta aemulatio adolescentium ciebitur, cum omnes curaturi sint, ne sua parochia vel associatio vel dioecesis vel patria aliis segnior sit, paucioresve subscriptiones Romam mittat.

3° Iuvenibus piis (Associationum catholicarum, Circulorum, Congregationum, Collegiorum) eximia occasio dabitur apostolatum inter coaetaneos exercendi ; eorum enim erit ideam propagare, quam plurimos iuvenes (etsi non organisatos) ad conferentias adducere, Parochis et Directoribus in solemnitate ornanda auxilio esse.

4° Ipsae organisationes iuventutis novum nutrimentum pure religiosum et actionis campum accipient (quin nova aliqua organisatio stabilis

(1) Pulchrum esset, si Aloisiana ista devotio etiam sacra Exercitia, eaque ut dicimus clausa, pro iuvenibus complecteretur.

exsurgat), habebuntque Directores certam materiam prae manibus, qua tamquam incitamento etiam post annos uti poterunt ad iuventutis fervorem religiosum semper denuo renovandum.

5° Si qui sint associationes vel Circuli qui fere tantum externa curent, nec iuventutis vitam religiosam peculiari cura promoveant, hi fere inadvertenter ad maioren et utiliorem iuventutis iuvandae modum inducentur.

Iam videamus, quid *Nostri* ad hanc rem tam salutarem, tamque nobis certe caram promovendam conferre operae possint?

Quomodo Nostri actionem hanc promoveant?

Inprimis: *ideam huius rei promovendo et propagando* voce et scriptis; invitando et urgendo clerum saecularem, iuvenesque ipsos, ut rei ubique incipiendae ansam dent (1).

Secundo: *acceptando et habendo ipsas conferentias Aloisianas* in templis parochialibus et Circulis, de quibus supra diximus.

Tertio: desiderantur quam urgentissime *breves vitae S. Aloisii* in singulis linguis, pulchre et ad capessendos adolescentium animos concinnatae. Has vitas ipsa Commissio Centralis multum commendabit, ita ut earum venditio etiam maiore numero satis secura sit. In singulis igitur terris utile esset, si singuli Patres huic labori se subiicerent, praemonita Commissione Centrali, ne duo vel tres simul eundem laborem eadem lingua assumant.

Quarto: ii, qui *apud Sacerdotes vel maiores iuventutis organisationes* peculiari auctoritate pollent, velint has vel illos multum invitare, ut actioni faveant, eamque ad exitum ducere iubeant; velint etiam totius rei modum et rationem cum eis bene componere (1) ac Commissionem Centralem de rerum condicione et actionis progressu certiorem reddere.

Quinto: omnes invitantur, ut *Commissionem Centralem pro modulo suo adiuvent*, consilia sua quoad exsecutionem vel difficultates locales ei indicent ac se quasi intermedium in his solvendis, si possunt, offerant.

Notandum tandem: 1° Actio ista *non est associatio nova* aut organisatio stabilis, quare aemulatio nulla est timenda. — 2° Sola iuventus *masculina* est respicienda, annorum fere 13-24. — 3° Quoad particularia magna est *libertas* e. g. in applicando ideam substantialem ad genium et indolem gentis, ad adiuncta temporum et locorum. — 4° *Inscriptio* omnium epistolarum est: Commissio Centralis Aloisiana, Via del Seminario 120. Roma (19).

(1 Rei propagandae multum inservient *cartulae postales illustratae propagatoriae*, quae totam ideam breviter cum imagine S. Aloisii exhibebunt. Cartulae istae emptoribus prostabunt apud " *Commissionem Centralem Aloisianam* " (*Via del Seminario 120, Roma 19*). Hae etiam ad expensas necessarias centrales sublevandas inservient. Si unumquodque Collegium nostrum *denas* vel *vicenas* pro singulis suis alumnis emerit expensae solventur et ideae propagandae multum inservitur.

(1) E. g. num praestet peculiarem Commissionem nationalem *ad hoc* constituere etc.

Meditationes novendiales de Immaculata Conceptione

ad Sodalitatum cognitionem et studium directae

Solent Congregationes, maxime quae de ipsa Immaculata nomen ac titulum ducunt, maiore cum splendore diem Immaculatae obire, praemissa ei aliquando novemdiali devotione. Nunc proponit quidam Pater, ut schema aliquod ostendamus ita adornandi huius devotionis novemdialis meditationes seu exhortationes, ut simul cum laudibus B. Virginis Congregatio eius commendetur, natura et emolumenta huius instituti exhibeantur. Cui voto eo libentius facimus satis, quo magis nobis persuasimus, nihil tantopere circa Congregationum nostrarum renovationem desiderari quam cognitionem veram naturae Congregationis.

Exhibemus igitur schema quoddam, seu brevissimas synopses ad hunc finem adaptatas; notamus tamen, nos hic nolle insistere in evolvenda Immaculatae Conceptionis doctrina, quam sibi quisque sive ex suis meditationibus, sive ex Mariologia qualibet, sive ex scriptis editisve libris Marianis (e. g. P. Vermeersch) facile supplebit. Nobis id unum hic cordi est, ut Directoribus viam quamdam pandamus et modum, meditationes Marianas coniungendi cum Congregatione commendanda et natura eius enucleanda.

INTRODUCTIO

Ut bene intelligamus momentum Immaculatae Conceptionis ratione salutis humanae, ob oculos ponemus nobis:

1° *tristem generis humani condicionem* ex peccato et universali fere Daemonis dominio per orbem ortam,

2° deinde *spem salutis* quam concipere Deus protoparentes voluit, fore ut victoria de antiquo serpente a Deipara victrice reportetur,

3° porro *fontem*, unde tota vis Mariae ac victoria effluat, id est intimam eius *cum divino Nato unionem*,

4° *certamen* deinde ipsum quod sempiternum erat inter Mariam et Daemonem,

5° *virtutes* quoque quibus B. Virgo innocentiam suam circumsaepsit,

6° *auxiliumque* quo alios ad vincendos animarum hostes munire solet,

7° modum deinde quo sequaces suos inflammat, ut etiam inter socios *apostolice laborare et peccatum vincere curent*,

8° idque *modo quodam ordinato*, quamvis sacerdotes non sint,

9° tandem *felicem exitum ac consummationem*, ad quas haec victoria ducit.

Haec autem omnia peculiari modo ad Congregationem applicari possunt eiusque utilitatem ostendunt, atque ad fovendam vitam vere sodalitiam invitant.

Ecce materia novemdialis nostrae devotionis.

PRIMA MEDITATIO

Tristis conditio generis humani sub peccato.

" Miseros facit populos peccatum ".
(Prov. 14, 34)

Consideratio : Quantum luctus et maledictionis Adae peccatum hominum societati intulerit, historia duce omnibus constat. Intellectus obtenebratur, voluntas debilitatur, caro infrons se effert, vitia crebrescunt, homines iam a pueris pervertuntur, lex naturae et conscientia fere evanescunt ; omnia vitiis et flagitiis squalent. Terribilis est imago, quam de antiquitate pagana exhibent historici (e. g. *Döllinger*), imo exhibet de Romana republica ipse *S. Paulus* (Rom 1). Quantae passiones, quot dolores, quae infelicitas plurimos in hac vita oppresserunt, quamque exigua spe aeternae salutis miserrimi illi homines consolari sese aut erigere potuerunt ! Tota antiquitatis historia illud Sapientis clamat : " Miseros facit populos peccatum ". Orbis universus Redemptorem anhelavit, victorem quemdam divinum miseriae illius ac maledictionis, quae ex peccati ac Daemonis dominio profluxerant. Deum tandem haec praescientem miseruit inopiae nostrae et ut nobis medelam ferret, Filium aeternum hominem fieri secum ab aevo constituit. Ut autem Daemonis per orbem potestatem frangeret, Virginem quoque, ex qua Redemptor nasceretur, a potestate Daemonis, supernaturali sua virtute, exemptam esse voluit. Ecce prima lux in illa eterrima nocte generis nostri : Immaculata.

Applicatio : Quamquam 20 fere saecula a redemptione facta effluxerunt, hodiedum tamen in plurimorum hominum animis eadem fere crudelitate Dei inimicus regnat, atque saeculis ante Christum elapsis. Duae tertiae partes generis humani infideles : reliqui media fere parte extra veram Ecclesiam. Inter ipsos Catholicos quam multi solum nomen religionis retinent. Quantae ruinae religionis, ubicumque peccatum regnat : infidelitatis, contemptus Ecclesiae, superbiae vitae, avaritiae, luxuriae, odiorum ! Et quanta inde infelicitas, quae pugnae inter classes et nationes, quae fames ac sitis spiritualis nescientium, cur vivendum sit, cur patiendum, cur moriendum ! Quantopere tamen omnes istae miseriae sublevantur, ubicumque victricem manum et adiutricem religio nostra portendere populis permittitur ! Quae pax, quae tranquillitas, quae veri gaudii ubertas animos replet, qui ad Deum convertuntur et ex mente legis Evangelii vivunt.

Primum gradum libertatis et levaminis recuperandorum Immaculata Conceptione Deus fieri voluit. Sic etiam nostris temporibus efficacissimum iuvamen ad Deum, ad pacem, ad reconciliationem, ad felicitatem versus a Maria offertur. Vide, quid Congregatio Mariana ultimis quadringentis annis ad redintegrandam religionem fecerit. (Recapitulari hic possunt quaedam ex Congregationis historia (1). Etiam hodie plurimi animarum pastores profitentur, inde puriorem et fortiorem vitam catholicam in grege suo esse ortam, unde Congregationes Marianas veri nominis inter suos constituissent. Revera devotio Mariana nos luce nova conspergere solet, qua via salutis nobis clarescat subito et ad portum securum invitet; si vero haec devotio a pluribus in eundem finem sibi consociatis exercetur, experientia teste mox mirabiles profert fructus.

Si igitur renovare societatem, redintegrare religionem, frangere Daemonis imperium, obtundere peccati atque infelicitatis fontem volumus, nihil nobis sit antiquius fovenda Congregatione Mariana.

MEDITATIO ALTERA

Promissio Immaculatae.

Ecce Virgo concipiet...
(Is. 7, 14)

Consideratio : Lapso in miseriam generi humano Deus omnem spem adimere noluit, sed redemptionem venturam ei promisit. Praeter Protoevangelium (Gen. 3) per Prophetas promissa sua declaravit et renovavit (v. Christolog.). Voluit enim, ut homo, etsi lapsus, non obliviscatur vocationem suam altiorem aut Dei gratiam et misericordiam ; voluit, ut hac duplici recordatione in aerumnis erigeretur, in peccati luto spem purioris vitae ac felicioris in se foveret et venturum Redemptorem vehementius desideraret. In his promissis inde ab initio imago etiam Deiparae fulget, veluti si Deus spem augere miseris voluisset, quod simul cum Re-

(1) Cfr. " Acies Ordinata " ann. I. pag. 29 sqq.

demptore Matrem quoque, dulcem ac misericordem, eis praesagiret. " Inimicitias ponam inter te et *mulierem*... " " *Ecce Virgo* concipiet et pariet filium... " Quid enim generi humano vel ipse Redemptor profuisset, si servari se posse omnes desperassent. Fides igitur et spes " exspectans redemptionem Israel " necessaria condicio erant reparandae salutis.

Applicatio : Hoc momentum spes sancta hodiedum non amisit, estque omnis iustificationis simul cum fide fundamentum. Unde etiam hodie, si redintegrare regnum Dei in terra volumus, si religionem repristinare, si peccatores convertere, primum omnium curandum nobis est, ut *cognitionem altioris nostrae vocationis* in hominibus excitemus, simul cum *fiducia erga Deum misericordem*, sanare cupientem, gratias offerentem. Multi absterrentur concionibus nimis rigidis et severas tantum veritates proferentibus : contra facile devinciuntur spe oblata misericordiae, atque erecta hominum conscientia, se ad altiora esse vocatos, quam ut pecudum more terram lambiant et in terram toti revertantur. Iam si homines non absterrere, sed lucrari volumus — sive sacerdotes simus sive laici, — primum nos ipsos intime repletos esse oportet spiritu fidei, spei, sanctaeque laetitiae. Magis, quam verbis, ipso nostro exemplo ostendere conemur, quam felix, pulchra, divesque sit vita religiosa, casta, catholica. Sed quid nobis ad hanc spem et laetitiam sanctam acquirendam plus prodest devotione Mariana ? Filii Mariae semper laeti sunt et gaudent ; Maria nobis " causa nostrae laetitiae " est et " mater pulchrae dilectionis... et sanctae spei ". Nos scimus " Mariae filios perire non posse ".

Miro tamen modo haec sancta spes, sanctaque laetitia augentur, ubi complures Mariae filii tamquam in familiam unam *coalescunt*, — id fit Congregatione — ut collatis in unum viribus obsequia Mariani servitii et amoris alius alium adiuvando perficiant. Revera si quod est signum bonae Congregationis, est gaudium illud limpidum, imperturbata serenitas et hilaritas Sodalium, quod pignus esse solet bonae conscientiae simul et sanctae fiduciae. (Episcopus quidam iter agens ex hac re cognovit magistras quasdam secum itinerantes esse Congreganistas, quod nullum unquam nisi Sodalem tam sancte gaudere, tam puro corde ridere et iocari vidisset). In Congregatione enim (ut de religione S. Bernardus aiebat) homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, irroratur frequentius etc. Quomodo ibi desit puerorum laetitia, ubi talis Materfamilias adest in medio eorum ?

Agite, foveamus Marianum amorem in nobis ; sic pleni erimus ipsi sanctae spei et laetitiae, atque inde apti ad id, ut etiam inter miseros nostros cives et socios simus praecones novae altiorisque vitae, spei et reconciliationis, gratiae et misericordiae Dei.

MEDITATIO TERTIA

Fons virtutis.

" *Dominus tecum* ".
(Luc. 1, 28)

Consideratio : Undenam Mariae tanta vis, ut cum semine suo hostem antiquum ipsa conterat ? Unde ancillae humili tanta altitudo, ut in ipso Protoevangelio, atque in tota redemptione semper fere cum Redemptore divino nominetur ? Cur decuit eam praemuniri immaculatae conceptionis sigillo unamque eximi a tristi lege qua omnes maculamur ? Omnes Patres, omnes Theologi uno ore respondent : quia *Mater Christi* erat futura. Ex divinae maternitatis praerogativa fluunt omnia eius privilegia, omnes gloriae, omnis virtus. Potuit vincere Diabolum, quia maternis amplexibus Eum stringebat, qui absoluta Sanctitas est et absoluta vincendi Potestas. " Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et Semen illius... " Ipse, vel Ipsa cum Eo, conteret caput tuum. Adime, si potes, Mariae intimam cum Christo unionem, iam nihil habet. At *gratia plena*, quia *Dominus cum Illa*.

Applicatio : Nos quoque per gratiam et caritatem, etsi nunquam attingimus Matris Dei dignitatem, cognati tamen fieri possumus Christi, eoque magis, quo diligentius unionem istam actibus caritatis et virtutum supernaturalium fovemus. Verae et unicae magnitudinis hic est fons et modus. Imo quodammodo " matres " et " fratres " Christi erimus, si " audimus verbum eius et facimus ", ut ipse Christus inquit (Lc. 8, 21). Unionem hanc cum Christo et vitam supernaturalem fovemus in nobis 1) studio individuali, sed magis etiam et fructuosius 2) labore collectivo et sociali, ut fit in ordinibus religiosis iuxta illud Christi : " Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ". Sed quoniam non omnes sunt vocati ad ordines religiosos, cavit Ecclesia, ne deessent vel in saeculo viventibus *associationes religiosae*, quae Sodales aptis modis ad altiora vitae spiritualis cacumina elevarent. Quas inter associationes peculiarem gradum obtinet Congregatio Mariana, cui is scopus primarius propositus est, ut Sodales ad vitam vere christianam et perfectionis studium educet, ope devotionis Marianae. Reapse historia teste Congregatio virtutis et sanctitatis academia semper erat singularis et innumeros homines cuiusvis condicionis et aetatis eximios vitae supernaturalis cultores reddidit. Nec mirum, nam

amor B. Virginis vim quamdam admirabilem habet ad animos Christi familiaritate accendendos; nec satis, sed eos, qui hunc ignem conceperunt, mirifice inter se unit et ad altiora semper petenda consociat. Sodalitas Mariana est schola intimi amoris erga Christum, fidelis servitii eius et sanctae emulationis palaestra. Inde tota eius virtus et efficacia originem ducit.

Sunt hodie multa opera christiana, multae organisationes catholicae, quae langueant, vix sese sustineant, facile dissolvantur. Ratio ea est, quod internam vitam non satis curant, fundamenta alta ponere negligunt. Vel inde discamus solide stabilire aedificia nostra, omnemque laborem externum a vita interna derivare. Quod idem est ac Congregationem peculiari cura colere eiusque primam Regulam servare.

MEDITATIO QUARTA

Victoria de peccato.

"Ipsa conteret caput tuum."
(Gen. 3, 15)

Consideratio: B. Virgo Daemonis victor exstitit primario sua Immaculata Conceptione. Peccatum, quod omnes infectat, eius animam non violavit. Venit princeps huius mundi et in ea non habuit quidquam. Cuius puritatis B. Virgo semper, dum vixit, cultrix permansit ac ne minima quidem unquam personali labe se violari permisit. Candor erat lucis aeternae et speculum sine macula. Inter densissimas tenebras, quibus hominum centena milia teguntur, inter perditissimos caducae naturae mores lilium est inter spinas, ipsius Dei oculos delectans eumque, ut S. Bernardus ait, ad terram alliciens. Inter honores non effertur, inter adversa nulla impatientia abripitur, sceleratissimos hostes non odit, dirissima inter supplicia non murmurat, oblectamentis non allicitur, ne angelo quidem paritura, si hic virginitatis pretium petierit. Vere tota pulchra facta est et macula non erat in ea.

Applicatio: Si Deo placere, hostem vincere, magna pro regno Christi moliri desideras, primum est, ut peccato renuncies, inclinationibus malis bellum inferas. Neque enim habitabit sapientia in corpore subdito peccatis (Sap. 1, 4). Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei (1 Cor. 2, 14). Nisi a peccato te liberes: *a*) non potes placere Deo aut gratias altiores ab eo sperare; *b*) non adipisceris quietem animi tui; *c*) non poteris frugiferum apostolatum exercere, cum altera manu destruas quod altera aedificasti. (Evolvi hic possunt detrimenta peccati cum gravis, tum venialis, more nobis notissimo).

Iam ut hanc pugnam contra peccatum in te ipso invicte ad bonum exitum perducas, Congregatio Mariana singulari tibi auxilio erit. In ea enim quidquid vires augere animi contra peccatum obsistentis potest, abunde sociis subministratur. Habes in ea vigilantiam paternam Directoris, fraternam Sodalium. Habes exhortationes, confessionem certe menstruam, spiritualia quotannis exercitia. Habes fulgentem Deiparae imaginem non solis oculis oblatam, sed alte menti tuae infixam. Habes conscientiam datae fidei, promissae Virgini sequelae, sentis te ephebum esse selectum tantae Reginae. Quid fortius, quid constantius hominem a peccandi occasione retrahit hac conscientia, his vinculis?

Ama Congregationem et semper peccati victor eris. Quam multi debent innocentiam suam fidelitati in conventibus frequentandis! Contra quam multi tum e gratia Dei excidere coeperunt, cum Congregationi terga verterunt!

MEDITATIO QUINTA

Victoria secura reddenda.

"Ille insidiabitur calcaneo tuo."
(Gen. 3, 15)

Consideratio: Quamvis B. Virgo fuerit non tantum a peccato, sed eius etiam fomite libera, nemo dubitaverit, quin custodia sui ininterrupta contra omnia mundi pericula sese munierit. Quis enim eam alias fingere potest nisi modestam, sensuum portas claudentem, sui semper dominam, linguae tenacem, a mundi illecebris semotam? Tota vita eius non tantum a quovis naevo erat alienissima, sed etiam a qualibet vanitate, inutili rerum caducarum cura, mundi familiaritate, ad res creatas effusione. Vide, quam prudenter, quam caute cum Angelo ipso tractaverit. Non necessitate suae innocentiae servandae hoc asperum vitae genus prosequuta est, sed ut filiis innumeris castissimum custodiae sui exemplum poneret.

Applicatio: Omnes magistri vitae spiritualis inculcant, ad victoriam nostram de peccato securam reddendam non esse satis vitia ipsa vitare, sed fugienda esse etiam remotiora pericula, circumvallandum esse animum aggere timoris Dei et custodiae sensuum. (Exemplis e morali sumptis hoc ostendi et evolvi hic potest).

Miro modo hac in re Congregatio Mariana nos fovet et adiuvat. Nam *a*) cohortationibus Directoris, Regulisque (e. g. Reg. 35) nos constanter attentos reddit ad pericula vitanda, ad mortificationem et strenuam nostri custodiam exercendam; *b*) praeterea ipsa natura consociationis nosmet sub tutela fratrum ponit, quibuscum convivimus et

quibus idem finis eademque Regula ac nobis praelucet; ut enim sumus homines, verecundia ipsa adigimur ad vitanda pericula, liberiorem vitae consuetudinem, societates, distractiones, lectiones leves, theatra et similia, si observari nos a fratribus sodalibusque in his rebus sentimus. Sic in Congregatione nos sancta quaedam aemulatio cohibet ad vitandam non solum ea, quae in se mala sunt, sed etiam quae periculosa. Tandem *c*) ipsa pietatis communia exercitia nos vigilare magis et spiritualibus rebus occupari iubent; quae exercitia fortasse omitteremus, nisi sociali vinculo Congregationis, exemplo, vigilantia, promissis, Regulis, gubernio Directoris ad ea fideliter servanda compelleremur.

Sic Congregatio nos non solum ad semel iterumque, sed ad constanter vincendum peccatum inducit; quare etiam ipsa meretur titulum, quem Ecclesia ad Beatissimae Virginis laudem applicat, titulum inquam: "horti conclusi", "fontis signati", cuius "emissiones paradisus".

MEDITATIO SEXTA

De victoria peccati in proximo.

"*.....mater cunctorum viventium.*"
(Gen. 3, 20)

Consideratio: B. Virgo in sua conceptione immaculata non solum pro se ipsa vicit peccatum, sed Daemonis potestatem etiam pro nobis fugavit, plurimorum causa salutis aeternae. Facit hoc primo per *gratiae* plenitudinem, quam ab initio accepit, deinde *disponendo se* fideliter ad cooperandum cum gratia et gignendum mundo Redemptorem; porro *exemplo* suo, quae omnibus Christifidelibus suavissima invitatio est ad pugnam et victoriam similem; tandem coelesti pro suis asseclis *intercessione*, qua pugnam istam et victoriam nobis faciles reddit. Nec satis; Beatae Virginis servi ipsi quoque alios iuvare conantur animasque Daemoni abripere. Spiritus enim Marianus necessario apostolicus est; is enim, qui Mariae scholam frequentat, qui Christo servire Maria duce conatur, non potest cum taedio inerterque spectare, quomodo animae sanguine Christi redemptae misere in interitum ruant, sed quasi sponte ac natura adigitur ad tuendum et propagandum regnum Christi, ad dilatandam Christi familiam. Vide sanctas mulieres in Evangelio, vide ipsos Apostolos: in mediis tribulationibus B. Virgo eis solamen est et confortatrix. Vide tot Sanctos insignes, incipiendo a Patribus: ab Ephrem Syro, a Cyrillo Ierosolymitano, Ambrosio, usque ad Doctores ultimi temporis: Bernardum, Salesium, Alphonsum, Canisium; omnes apostolicum zelum cum tenero Mariae amore coniunxerunt. Sic per eos impletur antiphona: "Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo".

Applicatio: Nobis quoque amplissime patet benemerendi de proximis periclitantibus campus. Quorsumlibet oculos vertas, animae immortales cum Daemone et interitu sempiterno luctantur. Hostes Dei et Ecclesiae invalescunt, iam a pueris homines corrumpunt, sine Deo educant, ruere in illecebras carnis iam a teneris annis iuvenes iubent. Quanta est ubique terrarum fere inimicorum Christi potestas! Quomodo eis scholae famulantur et leges, theatra et plateae, libri et ephemerides, se vestiendi licentia, morum dissolutio, auctoritatis contemptus, socialis vitae discrimina! Nemo certe sine peccato suo damnatur, sed quam arduum est a peccato sibi cavere, quo fere undique circumderis! Quam felix est ille, cui forte auxilium brachio fraterno portenditur! Quam facile multi servantur, quibus christiana et spiritualis caritas succurrit suadendo, monendo, invitando, custodiendo, confortando! Quam multae animae complexui Daemonis adimi possent, si ii, quos gratia Christi incolumes servavit, se totos animabus lucrandis darent!

Sed quid vult Congregatio nisi hoc? Quid quaerit, nisi ut apostolos laicos educet, qui apti et studiosi sint ad animas captandas; qui sese sanctificent et igne supernaturalis amoris accendant, ut eo magis ad expugnandos inimici arces, animas inquam immortales, valeant. Nulla re hodie magis eget regnum Christi, quam apostolis: sacerdotibus religiosis et laicis. Horum ultimorum schola, vix alteri secunda, est Congregatio. Quare omni nisu fovenda et evolvenda est, ut pergat imitari Reginam Immaculatam: pergat vincere Daemonis imperium in quam plurimis animis.

MEDITATIO SEPTIMA

De apostolatu subsidiario.

"*Invenerunt Puerum cum Maria matre eius.*" (Mt. 2, 11)

Consideratio: Sponte quaerit, quisquis Mariologiam meditatur: utquid opus erat tam arcte iungere Matrem Filio, Mariam Christo? Cur in prima Redemptoris apparitione ad pastores, postea ad magos, cum accentu quodam dicitur, primos adoratores *Puerum cum Maria* invenisse? Cur Lucas chronologicam texens Evangelii narrationem tantum immoratur rebus Mariae narrandis? Et cur iam in Protoevangelio Deus ipsis protoparentibus non solius Redemptoris imaginem obtulit, sed cum eo simul mulierem praefatus est, quae simul cum benedicto Semine caput serpentis contritura

esset? Varias rationes Patres afferunt et Theologi; quarum una tempori nostro insigniore modo videtur consona: nimirum ut *humanae* cooperationis in servando mundo necessitas splendidius eluceret. Et propius dici potest: apostolatum *laicum* non incommode illustrari illa B. Virginis opera, quam in redemptione obtinenda navavit. Christus sacerdos erat, redemptionem proprie solus perfecit; Maria non erat sacerdos, sed sacerdoti fidelissime inserviebat et sic eius opus praeparare et ad extra perficere meruit. Veluti si Deus eius exemplo nobis dato diceret: Ecce quanto loco ponitur fidelis cooperatio animae devotae etsi laicae in opere animarum redimendarum!

Applicatio: Solatio simul et exhortationi haec nobis sint oportet. Non omnes vocati sumus ad sacerdotium, sed omnes vocati sumus ad serviendum sacerdotibus, adiuvandam Ecclesiam, apostolatum subsidiarium. Quo autem demissiores animo, quo ferventiores in orando, quo puriores a peccatis, quo ardentiores caritate fuerimus, eo plures animas lucrari nobis, etsi laicis, licebit. Neque singulis solis in apostolatus istius arenam erit descendendum, sed coniunctis phalangibus acieque ducta sacrum proelium est nobis committendum. Vae enim soli. Acies autem bene ordinata, qua optimus quisque animas lucrando apud Deum stipendia mereri permittitur, est Congregatio Mariana. Non precatoria haec tantum Confraternitas est, neque puerorum tantum ac puellarum piis ludis compescendorum ars, sed virilis omnino et apostolica expeditio, magnarum rerum pro Dei Ecclesia moliendarum castrametatio. Bene evoluta Congregatio praecipuum omnino subsidium est apostolatus sacerdotalis, nam 1° *laicorum optimos* congregat, 2° eos in *fide et virtutibus excolit*, quo fundamentum solidum iacit invicto labori apostolico, 3° eos *apostolico ardore* de industria inflammat atque viam docet zelum practice exercendi, 4° adigit Sodales, ut ipsi, Directore moderante, sed *suo marte* laborent: consultationes habeant, videant ne quid detrimenti Ecclesia capiat, quid mali repellere, quid boni promovere liceat circumspiciant.

Sit igitur sacra aemulatio inter singulas Congregationes, ut pone sacerdotes diaconiam quamdam sacram exerceant, apostolatum inquam subsidiarium, aeque ac B. Virgo ad redemptionis opus praeparandum et perficiendum iuxta Christum concurrebat.

MEDITATIO OCTAVA
De omnipotentia supplici.

"Uno tantum regni solio te praecedam." (Reg. 20, 3)

Consideratio: B. Virgo multis titulis peculiari Dei favore gaudebat, quorum primus, ordine certe, gradus puritas eius erat immaculata. Beati enim mundo corde. Tanta erat haec mundities, ut precibus euius exaudiendis nulla se maculae nubes opposuerit. Quare B. Virgo apud Ecclesiae magistros omnipotentia supplex solet appellari. Nec momento summo haec appellatio caret, ubi B. Virginis triumphum de Daemonis per orbem imperio hodiedum desideramus. Neque enim haec victoria Deiparae absoluta est perfecto opere redemptionis, sed pergit splendescere cotidie in innumerarum animarum conservatione, conversione, salute. Omnes gratias haec inferorum Victrix nobis cotidie obtinet, omnium gratiarum mediatrix, omnium mortalium advocata. Validissimis precibus in coelis cotidie oblatis gratiarum imbrem in hominum centena milia efflagitat, neque ei quidquam Filius negat sibi dilectissimae.

Applicatio: Quae esset mea dementia, si hunc inexhaustum favorum coelestium fontem neglegerem, si B. Virginem mihi propitiam reddere omitterem! Sine gratia nihil possum: nec peccato liberari, nec boni quidquam facere, neque in virtute perseverare, neque apostolatus ullius fructum felicem consequi. Modus quoque et ratio gratiarum eo pacto mihi metienda erit, quo benevolentius B. Virgo pro me intercesserit. Unde efficitur, totam meam et securitatem et felicitatem e Mariae manibus pendere, nihilque mihi esse carius oportere, quam ut eius tutelam mihi certam reddam. Quo firmius eius praesidium petiero, quo fidelius ei servivero, eo securior mea salus.

Haec autem Congregatio Mariana me obtinere docet ac iuvat. Tota enim Congregationis actio, sive ad sanctitatem nostram tendat, sive ad apostolatum, motivo simul atque indole Mariani servitii perfunditur et nobilitatur. Assuescimus ibi et bona agere et mala vitare et omnia ista tamquam filialis amoris obsequia B. Virgini cotidie offerre. Qua re praeter boni operis meritum pignus quoque consequimur, nos neque in posterum ob optima Matre derelinquendos esse, palmamque perseverantiae finalis esse consecuturos.

MEDITATIO NONA
Consummatio victoriae.

"Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa". (Sap. 7, 11)

Consideratio: Vide quam sint felices futurae ultimae sequelae illius victoriae, quam Immaculata Virgo de generis humani hoste reportavit. Dei Filio ad terram tracto, redemptione facta atque Ecclesia instituta quot animae, secus perituraे, viam salutis invenient! Quanta animarum per Christum renovatio, quanta peccatorum emendatio, quanta pax, quanta lux, quantus ordo, quanta felicitas ex victoria illa deducuntur! Quam multae gratiae et benedictiones exinde terram repleve-

runt! Neque id tantum; sed quot animis inde aditus aeternae felicitatis apertus! (Describi potest breviter caelestis beatitudo). Quae spes etiam nobis! Quas gratias Virgini debemus, cuius puritas immaculata prima stella inter nubila nostri generis apparuit, et cuius fideli adoperatione redemptio nostra completa fuit.

Applicatio: Non ego is sim qui tam grandia Dei beneficia, Deiparae concursu aperta et diffusa, obliviscar. Quotiescunque Virginis imaginem video, quotiescunque campanam Salutationis Angelicae memorialem audio, haec Dei dona, haec Virginis praesidia grata mente recolere volo. Nec satis, Virgini Daemonis victrici militem me offeram. In magno illo regni Christi exercitu phalanx est quaedam insignis eorum, qui peculiari devotione Deiparae inflammati ad altissima quaeque pro Deo exanclanda anhelent. Quorum agmina sunt: Congregationes. Quot praeclara apostolatus opera hae praestiterunt! Quot animas servaverunt! Quanto praesidio rei catholicae erant, ubicunque casto amore Mariano incitati atque exemplar maiorum Sodalitatis sequentes proelia cum hostibus animarum commiserunt! Quanta etiam nos incrementa Ecclesiae adipisci possemus, quot animas servare, quot vocationes altiores excitare, quale auxilium vitae religiosae, sacris Exercitiis, Communioni frequenti, Missionibus, bono prelo, paci sociali ferre, quam multis regnum illud beatum pandere, si Congregationes Marianas ex genuino earum spiritu foveremus, omnia ad Sodalitatis nostrae vigorem augendum tentaremus, certatim Mariae amorem filialem, fortem, apostolicum in nobismetipsis et sociis foveremus.

Sit igitur conclusionis instar, donique quo gratificari Immaculatae festissimo eius die volumus: redintegremus in nobis ipsis primum, deinde quantum possumus in sociis, Congregationis aestimationem et usum, ac per eam amorem B. Virginis tenerum, fidelem, operosum. Sic venient nobis hic et in vita futura "omnia bona pariter cum Illa et innumerabilis honestas per manus Illius".

QUAESTIONES PRACTICAE

De Sectionibus «ad hoc» institutis. Quaerit Director quidam: Ego non habeo Sectiones constantes in Congregatione meorum iuvenum; indoles enim huius gentis non facile fert longius in eadem re perseverare. Itaque magis Sectiones temporaneas instituo modo ad hunc modo ad illum laborem particularem complurium nisu communi exsequendum; quo labore finito Sectio quoque solvitur. Annon recte rem facio?

Respondeo: Recte omnino si ea est populi illius indoles ut varietate unice delectetur. Imo varietas quaedam ubique commendatur, nec Sectiones oportet habere, nisi vere vivant. Quare Sectiones "ad hoc" ubique institui possunt. Sunt tamen aliqui labores, quibus ubique cum quadam constantia Sodales dedicari decet, e. g. Communionis frequentis vel Missionum. Ut igitur constantia cum varietate misceatur, poterunt eodem fine retento variae Sectiones seu particulares labores "ad hoc" institui. Sic et capra saturatur et brassica remanet.

De Sectione Missionum. Proposuimus nuper modos varios, quibus succurrere Missionum exigentiis Sodales maxime per Sectiones missionarias possint. Adiungit nunc Pater quidam modum alium eumque certe aptissimum ad zelum missionarium accendendum. Estque ille, ut singulae Congregationes puerulum, vel puellam, vel etiam Seminaristam aliquem indigenam *adoptent*. Satis facile hoc fit, ubi plures simul onus inter se dividunt. Acquirenda deinde est imago photographica adoptati et in sacelli Congregationis ingressu vel in aula Sodalitatis appendenda ac ubi id fieri potest, litterarum commercio de eo vel cum eo tractandum. Quanto incremento Missionibus esset, si unaquaeque Congregatio suum adoptatum haberet!

De aula Congregationis. Periti rerum sodalitiarum magistri plurimum commendant, ut singulae Congregationes suam etsi modestissimam aulam seu cubiculum habeant, praeter sacellum vel templum quo ad devotiones communes instituendas utuntur. Reapse vix potest vita socialis societatis cuiuslibet cogitari sine loco aliquo ubi Sodales se domi esse sentiant, ubi consilia conferant, Directorem facile inveniant, libros suos, acta, actionumque suarum adiumenta materialia custodiant. Difficile saepe est talem locum invenire; tamen cum summa sit huius causae necessitas, omnia tentanda sunt ut inveniatur. Si unaquaeque Sodalitas suum cubiculum habere non potest, certe duae aut tres simul aulam aliquam habeant, qua statis singulae diebus utantur, singulisque sua scrinia sint. Usu docemur raro valere Congregationem quae talis loci necessitatem non sentiat.

Ordo et preces conventus hebdomadarii Congregationis cum fere ubique eaedem sint et sic originem communem arguant, quaerit Pater quidam, undenam sint et quis earum auctor sit habendus. Publicam hanc quaestionem facimus, ut Patres historiae Sodalitatum peritiores, si quid de hac re sciant, id nobis referre velint.

De ludis et excursionibus in Congregatione iuvenum. "Ego — sic Pater quidam — vidi nihil me obtenturum solis devotionibus inter iuvenes, ideo ludos magis et excursiones in Sodalitate foveo".

Recte id quidem, dummodo moderate fiat et respectu semper habito proprii finis Congregationis. Quod tamen ad enumerationem illam, quae argumentationi supra redditae subest, attinet, respondendum videtur omnino: *addo tertium!* Videlicet non solum inter haec duo est eligendum: inter meras devotiones et ludum, sed praeter devotiones fieri in ipsa Congregatione possunt *opera apo-*

stolatus, quae Sodalitati omnino propria sunt, ac deliberatio communis de eis. Haec si cum animo fiunt atque a Directore sagaciter excogitantur et prudenter promoventur, vehementer iuvenilem ardorem inflammare solent, magisque ad Sodalitatem amandam et aestimandam allicere ludis quibuslibet aut excursionibus. Contra novimus Sodalitates, in quibus ideo nulla fere est vita, quia Director meris ludis et oblectamentis allicere pueros voluit et Sodalitatem *recreatorio* cuidam catholico aequiparavit. Valet autem etiam hac in re illud: *Quaerite primum regnum Dei...*

De indole Mariana Sodalitatis. Fortasse non est abs re verbulum dicere de indole Mariana Sodalitatis a Directore constanter prae oculis habenda. Certe non est necesse, e. g. in exhortationibus, semper et omni pacto themata stricte Mariana evolvere. Sed ex opposito neglegere ideam Marianam nequaquam decet, cum vigor ac vis specialis Congregationis in eo potissimum sitae sint, ut Sodales discant B. Virginem matris loco ducere, venerari, tenere amare. Nisi hoc obtineatur, omnia in Sodalitate languescent. Contra obtento hoc uno omnia prospere contingunt. Hanc thesim peritissimus quisque Director usu probavit. Id igitur ut minimum curet Director, ut certe particulam singulis concionibus sodalitiis inserat salis Mariani, sapidam tamen et amore Mariano conditam.

TELEPHONIUM

P. X. Y. Vix crediderimus Sodalitatum vigorem in aliqua natione inprimis a foederatione facienda pendere, vel ab hac originem ducere. Contra, novimus Provincias, quarum Sodalitates omnino florentissimae sunt iam a multis annis, nec tamen adhuc confoederatae; nunc demum de foedere paciscendo cogitant. Et recte, nam confoederatio *non fundamentum*, sed magis *tectum* est aedificii Congregationum, ac neutiquam de foederatione tractaretur, ubi Congregationes languerent. Ad Congregationes e tepore excitandas in aliqua regione aliae vias inprimis praesto sunt, quarum non ultima est: ephemeris Sodalitatum bene directa et ad restaurandas Sodalitates constanter excitans. Quod ad Secretariatum Centralem attinet, patet eum non esse vocatum ad organisationes Congregationum nationales directe curandas vel construendas; id enim Patres proprie spectat locis respectivis addictos. Verum est Promotores singularum Provinciarum certe nullam habere auctoritatem stricte dictam ad dirigendos singulos Directores vel eorum Congregationes, sicut nec Secretariatus nationales ullam talem iurisdictionem habent, nec Secretariatus Centralis. Quoad hanc rem igitur eadem est condicio Secretariatus Centralis et nationalis, Promotoris vel ephemeridis sodalitiae Editoris: hi enim omnes suasione magis amicali ac suggestione operari debent, non aliter. Secretariatus Centralis id facere debet magis *indirecte*, exhortando nimirum Promotores nostros; Secretarii nationales autem et Promotores vel Editores *directe*, quia magis cum hominibus gentis suae coniuncti sunt. Neque putandum est, nihil hac in re nisi auctoritate et iurisdictione nescio qua effici posse, ut exemplis supra indicatis ostenditur. Ordo quoque aliquis servandus est; quare si quis e. g. Londinio a nobis peteret, ut foederationem anglicarum Sodalitatum institueremus, nos certo certius ei responderemus, hanc rem proxime cum Promotore in Provincia Angliae nominato conferri oportere.

Notamus ad finem, inscriptionem nostram, ut iam iterato indiximus, non esse " Via degli Astalli 16 „ sed " Via S. Nicola da Tolentino 8 „. Quae inscriptio Secretariatus Centralis permanet, etsi Editor Aciei Ordinatae in alia domo Romana habitat. (Via di Ripetta 246, Roma 9).

Gratias pro obolis: P. A. W., El Paso. Texas: 4 doll. — P. J. C., Santiago da Chile, L. 200. — P. L. H. Québec, L. 100.

P. D. C. Dolendum profecto est, si magnae cuiusdam Congregationis nostrae Director *apostolatum* a Congregatione sua exsulare vult, neque ullis in hac re argumentis movetur. Peritissimus enim quisque scit, languere fere semper Congregationem, maxime virorum vel iuvenum, ubi non insistitur in apostolatum, eiusque saltem aliqua opera externa. Fortasse mutaret ille Pater sententiam, si Aciem legeret. Ait Apostolatum ab aliis organisationibus exerceri. At ostendimus iterum iterumque, Congregationi semper relinqui saltem aliqua opera apostolica, quae ab aliis organisationibus vix ac ne vix quidem praestentur; neque igitur timendum esse, ne collisiones inde iniucundae oriantur. Sunt tamen qui nondum clare intelligant, quantum prosit ad bene laborandum, praeter bonam voluntatem et mentis culturam generalem, etiam methodis apostolatus bene studuisse; quidque ac quomodo faciendum sit, secum et cum fratribus solide discussisse.

LITTERAE AD EDITOREM

Rev. P. Editor! Quoniam omnibus, qui Aciem Ordinatam accipimus, licere ait V. R.a, quidquid in mentem venerit, proponere; hoc mihi V.a R.a proponendum venit: Si Atlas graphicus, vel melius forte geographicus, Marianarum Congregationum per nationes Europae, Asiae, Americae, Oceaniae distributarum conficeretur; aliis verbis, si acies Mariana, ordinata per orbem, sub oculos poneretur, methodis graphicis modernis, ut aiunt, in una charta geographica vel in plurimis chartis geographicis in uno Atlante colligatis, ita ut tota Acies Mariana Ordinata uno intuitu conspici posset: non solum a nostris Congregationum Directoribus et alumnis Marianis, sed etiam ab externis omnibus quibuscumque, Episcopis, Archiepiscopis, sacerdotibus, parochis, religiosis, sub quorum oculos, vel fortuito vel consulto, haec Acies ita graphice ordinata caderet: nonne fructus produceret uberrimos atque continuos?... Segnius irritant animos demissa per aurem quam quae sunt oculis subiecta fidelibus... En, Pater mi, ideam desideriumque; quae V.ae R.ae trado vel exsequenda, vel reiicienda, vel mutanda.

J. M. B.

Exhibemus hic desiderium; fortasse invenietur aliquis, qui huic labori faciendo se subiiciat. Opus tamen difficile erit, nam statistica exacta de Congregationibus, proh dolor, non ubique colliguntur. — *Editor.*

LIBRI NOVI

A. Vermeersch S. J.: **Die Muttergottesfeste.** Ein Muttergottesbuch. Band I. (Uebersetzt von Th. *Metzler.*) Marianischer Verlag, Innsbruck.

Heinrich Godefried O. M. Cap.: **Durch Maria zu Jesus.** Geistliche Schule für Jungfrauen. Ibidem.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50-A